

minibus edoctus, cum causas, quæ legatum ad id agendum impulerant, intellexisset, gesta probavit. Magnus quoque Hierosolymitanæ religionis Magister Philippi facinora detestatus, non modo suo injussu, verum etiam adversus decreta ad piraticam exercendam biremes illas eduxisse, fassus est. His peractis, quæ extra ordinem triremes deductæ fuerant, a Senatu subduci jussæ; Capellius classis imperator Venetias revocatus est. 1534

Eodem ferme tempore, quo Chariadenus Africanam expeditionem moliebatur, Suleimanus Abraimi, qui magna apud illum gratia atque auctoritate pollebat, crebris adhortationibus incitatus, bellum adversus Tammafum Ismaelis Sophi filium, cui Magni ob egregia facta cognomen inditum fuerat, bellum suscepit; & evocatis undique militibus, Ulamane Persarum transfuga itineris duce, Iconii Lycaoniæ oppido lustratis copiis, in Armeniam contendit: ubi, cum Choim pervenisset, nullosque obvios Persas haberet, per loca penitiora progressus, ut cum Tammafo acie certaret, qui, relictis urbibus, montes petierat, donec Hiberi, atque Albani, qui leviori equitatu plurimum valent, Persasque cataphractos præire consuevissent, accederent, in itinere Taurisum prædivitem urbem, Regisque sedem cepit. Mox Sultaniam petiit, ibi aliquamdiu moratus, sævissima oborta tempestate ex vicinis præaltis montibus nivium perpetuis rigoribus obsessis, cum immani procella Turcarum tentoria disjicerentur, ingentem jumentorum numerum, militesque permultos exstingueret. Deinde receptis viribus, atque aliquantisper recreato exercitu, in Assyriam profectus, Babylonia, quam *Bagadetum* hodie dicunt, potitus est; circumjectarum regionum incolis ad victoris Imperatoris nomen famamque ultro voluntaria deditioe confluentibus.

Cum iter in Persidem pararet, Aloysium Gritum, Andreae Venetiarum Ducis filium, magna cum auctoritate, ac mandatis Suleimanus in Pannoniam miserat; qui Byzantio profectus, Danubio superato, in Mœsiam superiorem venit, *Valachiam* a recentioribus dictam, quæ hodie in Moldaviam, & Transalpinam dividitur; inde Petro Moldavorum Principe sibi conciliato, in Daciam, quæ *Transilvania* modo nuncupatur, deflexit. Americus Cibachus, Episcopus Varadinensis, ea tempestate Daciæ præfecturam gerebat; vir illustri nobilita-

*Vincenrius Capellius classis imperator Venetias revocatus. Suleimanus Abraimi suavis expeditione contra Persas decernit.*

*Taurisum a Suleimano captum.*

*Babylonia in Turcarum potestatem redacta.*

*Aloysius Gritus a Suleimano, in Pannoniam missus.*

*Americus Cibachus, Episcopus Varadinensis, Gritum mandato vocatus.*